

37



DISSERTATIO MEDICA INAVGVRALIS

DE

# PHRENITIDE IDIOPATHICA

QVAM

AVCTORITATE ET CONSENSV  
AMPLISSIMI ORDINIS MEDICI  
IN ACADEMIA ERNESTINA

PRAE SIDE

## THEOD. GERH. TIMMERMANN

MED. DOCT. ET PROF. PRIMAR. PROVINCIAE HASSO-SCHAVM-  
BVRGICAE, MILITIS PRAESIDIARI VRBISQUE RINTELIENSIS  
ET ACIDVLARVM RODENBERGENSIVM PHYSICO

PRO GRADV  
DOCTORIS MEDICINAE  
EXHIBET ET PVBLICE

DEFENDET

## JOHANNES CHRISTIANVS FISCHER

SALZVNGA - MEININGENSIS SAXO.

---

DIE JANVARII MDCCCLXXVIII.

---

RINTELII,  
TYPIS ANTON. HENR. BOESENDAHL  
ACAD. TYPogr.

PHRENIIDE  
IDIOPATHICA

ACADEMIA  
ACADEMIA CONSILIA  
APPLICATI ORDINES MEDICI  
IN ACADEMIA FRIBERGIANA

PRAESIDE  
THEODORUS TUMMERMANUS

ET DOCTOR ET PROFESSOR PHYSICIENS  
PHYSICIENS, MITIS PRACTICORUM ANATOMIA  
ET AGRICULTURA RODONIKOGRAMMUS

PRO GLADIA  
DOCTORIS MEDICINAE  
EXHIBET ET TABULE

DRAMMATIS  
JOHANNES CHRISTIANUS HESCHER

DE JANUARY MDCCLXVII

RATTA  
TULLIUS ANTONIUS HENRY CORSENBIUS  
ACADEMIA



.obella

D I S S E R T A T I O

D F.

PHRENITIDE IDIOPATHICA.



elirium cum febre acuta continuum  
Phrenitis dicitur ; & quidem Idiopathica , si ejus Causa originitus Encephalo inhaeret , morbus itaque protopathicus sit ; Symptomatica autem est , quae ex alio praegresso morbo enata sit phrenitis , sive haec prorumpat vel Encephali illaeso organo per sanguinis humorumque praeternaturalem motum vel à causa

A

causa

causa aliis, etiam remotis, in partibus sedente per Nervorum Censem turbato, quod in Diaphragmatis inflammatione, Paraphrenitidis nomen gestante, fieri ajunt, vel Encephalo denique, ipso in suo organo, per Metastasin materiae morbosae in Cerebrum translatae, nunc etiam topice quidem, sed Deuteropathice, affecto.

### §. II.

Qui jam ea, quae inde ab HIPPOCRATIS temporibus & Veteres Medici hosque per omnia secula secuti & Recentiores, praesertim hi à quinque retro lustris, de Phrenitide & Paraphrenitide literis consignarunt, noviter & perpenderit compararitque, tam ratione causae & sedis affectaeque partis in utroque morbo, quam Signorum, quibus & dignoscendi à se invicem & ab aliis morbis distinguendi sint, modique etiam Curationis; adeo insignem sane discrepantiam deprehendit, ut, cuinam alterutrius doctrinae plus insit veritatis, judicii dubius haereat. Inprimis vero differunt Veteres à Recentioribus quibusdam praestantissimis in accusanda parte primum primitusque affecta. Veteres enim phrenitidis Causam statuerunt inflammationem Meningum Cerebri, hujusque etiam ipsius, ita tamen ut eam ex inflammatu porius Tenui Meninge quam ex Cerebro gigni scripserit GALENVS; paraphrenitidis autem causam esse  
Diaphra-

Diaphragmatis inflammationem. Atque haec doctrina in universum recepta est viguitque ad medium hujus Seculi, etiamnunque plurimis per manus tradita creditur. Tunc vero in primis b. BRENDELIVS, sagacissimi Vir judicij felicissimaeque praxeos, Phrenitidem tam quod ad febris, quam conjunctam habet, indolem, quam morbi ipsius cum paraphrenitide, suo, ut infra dicetur, modo explicatâ, cognitionem longe aliter, ac plures, iisque Antesignani, haetenus Europae Praeceptores, illam descripserant, depinxit, ut omnibus, qui vel Ejus Dissertationes legerunt, vel dissertissimis Praelectionibus interfuerunt, earumque studio erudití sunt, haud incognitum esse potest, sic ut haec recentior doctrina non solum in Discipulorum Ejus, sed etiam Aliorum, qui dictis ex fontibus profecerunt, mentem atque praxin, & Illorum quoque, ea de re qui passim noviter publice tractarunt, Scripta transiverit.

### §. III.

Ut vero illa modo dicta differentia paulo dilucidius pateat, phrenitidis symptomatum signorumque summam, quamvis alias notissimam, praecipue ex IOBOCI LOMMII, Classici illius, *Observationibus Medicinalibus* a), & NICOLAI PISONIS, tanquam optimi Veterum doctrinae

A 2

Col-

---

a) Lib. II. p. 66. sq. edit. Amstelaed.

Collectoris, à BOERHAAVIO ob id tantopere aestimati & de novo editi, *Observationibus* <sup>b)</sup>, utpote qui eam ab iis omnium Aliorum non discrepantem exhibent, quod ad essentialia, intersertis Aliorum paucis distincta, brevissimis excerptam sequentibus: Febris urget acuta atque continua, (vehemens HESTERO <sup>c)</sup>, juncta cum magno auctu HOFFMANNO <sup>d)</sup>, statim ardentissima, quae & partes internas & totum corpus adurit FORESTO <sup>e)</sup>, aridiorque, nullam effatu dignam mutationem recipiens, PISONI <sup>f)</sup>, continuusque mentis error seu delirium ferox & perpetuum DVRETO <sup>g)</sup> & BOERHAAVIO <sup>h)</sup>; expeditus in omnem audaciam homo est, & vicissim tum vigilia, tum somno difficult turbulentoque impeditur: eo plus periculorum, quo quis initio, ut sere fit, pacatior fuit. Oculis insolita mobilitas accessit, hique cruenti, flammei squalidique sunt, modo siccii, modo lacryma permixta, inquit, in aqua, in aqua fusi;

<sup>b)</sup> de Cognoscendis & Curandis morbis Lib. I. c. X. Tomi I. p. 62. sqq.

<sup>c)</sup> Compend. med. praet. p. 117. sqq.

<sup>d)</sup> Med. System. T. IV. P. I. Sect. II. cap. V. §. 1.

<sup>e)</sup> Obsf. med. Lib. X. Obs. II. Schol. p. 316. col. a. edit. Erfurt. 1602. in fol.

<sup>f)</sup> Libr. cit. p. 66.

<sup>g)</sup> Comment. in Coac. Nro. 96. 97.

<sup>h)</sup> Aphor. 771.

fusi: BOERHAAVIO <sup>i)</sup> rubor oculorum, qui & truces pro-  
tuberantesque, cum facie plerumque rubra valde & vul-  
tuosa: HEISTERO rubor plerumque ingens faciei & ocu-  
lorum <sup>k)</sup>: Venae ipsorum sanguine plenae videntur,  
PISONI <sup>l)</sup>, Vultus subinflatus sive plenus, COELIO AVRE-  
LIANO <sup>m)</sup>: Lingua aspera & nigra: interdum posterio-  
ra capitis dolent, (vehemens dolor capitinis, HEISTERO):  
vehementer sitit aeger: (exiguo utuntur potu, licet  
valde febriant, PISONI: nullus sitis sensus NENTERO <sup>n)</sup>:  
dein sitis auctior:) JVNCKERS <sup>o)</sup> ei symptomata cum  
febribus acutis communia tribuit, sed in praesente, ait,  
phrenitide extrema frigent. Pulsus durus BOERHAAVIO:  
pulsus parvi sunt & nervosiores ac duri PISONI: pulsus  
difficile ad superficiem corporis adscendens sive humili-  
or, tensior, modo parvus, rarus, modo celer ac fre-  
quens JVNCKERO. Multum garrit aeger nugarum: alte  
quidem, raro tamen, spirat: manibus tremit, digitis-  
que floccos vellit: reliqua vid. apud Auctores ci-  
tatos.

## A 3

## §. IV.

---

i) Aphor. 772. 773.

k) Comp. pract. p. 118.

l) L. c. p. 66.

m) De morbis acutis L. I. c. II.

n) Fundam. med. prax. Specialis Tab. 37. p. 226.

o) Conspect. med. pract. Tab. 63. p. 520.

—————  
§. IV.

Paraphrenitidem, à LOMMIO omissam, descriptam autem à PISONE, FORESTO, JVNCERO, aliisque omnibus, ex BOERHAAVIO saltem audiamus, qui, ut reliqui, eam diaphragmatis inflammationem esse, & cognosci docet ex Febre acutissima, continua, dolore inflammatori loci intolerabili, qui immaniter augeatur in inspiratione, repletione stomachi, nausea, vomitu, & quae reliqua sunt, tum delirio perpetuo, risu sardonio: vid. Aphor. 107 - 109. & *Comment. per ill. SWIETENII.* Secundum JVNCERVM p) (STAHLIANOS allegamus, quod STAHLIVS, cuius Observationes practicas plerique exhibent Discipuli ejus, diligens alias Naturae Observator esse solebat,) Signa cum aliis febribus inflammatoriis, communia quidem habet, at ei praeterea circa Scrobiculum cordis tumor & exquisita cardialgia, mentis alienatio, sermonibus deliriosis fere manifestans, sed ad violentiam phreniticorum non accendens, &c. adsunt.

§. V.

Jam vero contrà, quid statuant Recentiores, & inter eos primum audiamus BRENDLIVM. q) Itaque Ei Phrenitis

---

p) Libr. cit. Tab. 64. p. 527.

q) Conf. Diff. de phrenitide, Goett. 1756. & Diff. de Cognatione paraphrenitidis & febrium malignarum, Goett. 1752.

Phrenitis est febris acuta ad externum contactum non  
adeo vehemens, cum deliris protinus ab initio gliscen-  
tibus, ex inflammatione Corticis Cerebri & Meningum,  
interdum ante septimum diem mortem afférens, raro  
ultra duodecimum produci solita. Paraphrenitis autem  
Ei itidem est febris acuta, levior adhuc ac fallacior pri-  
ori, cum parvis protinus & fugacibus deliriis, ultra  
diem duodecimum ad vigesimum interdum produci so-  
lita, cum pulsu praecordiorum, lingua protinus alba &  
resiccata, ex inflammatoria stasi circa viscera quaedam  
imi ventris chylopoea, maxime ventriculum & hepar,  
unde statim ab initio nauseae illae & anxietates vomito-  
riae aliaque symptomata, quibuscum invadit: rectius  
que dici Phrenitidem Confensualem pessimum hunc,  
subdolum &, nisi initio occurras, cum sopore lethar-  
gico lethalem morbum. Quosdam tum Veteres tum Re-  
centiores ab inflammatione Diaphragmatis deduxisse:  
quos recte pridem coarguerit ALEXANDER TRALLIANVS:  
etsi enim Diaphragma itidem & praesertim per vasa sua  
ex arteria Coeliaca producta in societatem venire possit,  
maxime tamen hic vitium latere circa hepar ventricu-  
lumque. Phrenitidis vero propriè dictae Causam pro-  
ximam procul dubio quidem & primario illam vulgo  
incusatam Cerebri & Meningum inflammationem esse,  
sed procul dubio non solam, quin aut statim conjun-  
ctas aut mox pedissequas habeat turbas maxime circa  
hepar

hepar, ventriculum, lienem etiam: uti vicissim in paraphrenitide hae ipsae turbae initia morbi per se in abdome facientes, & Cerebrum deinde per Consensum affidentes, & in consensum morbi trahentes, hoc itidem postea inflammato, Causam Proximam constuant; haec probe in morbis his perplexis notanda; utrobique conjuncta esse vitia inflammatoria Cerebri Diætorumque viscerum Chylopoeorum: in phrenitide saltem primariam Cerebri inflammationem & Idiopathicam, haud conjunctam esse aut stipatam statim pedisse quis turbis inflammatoriis circa illa abdominis viscera: in paraphrenitide vero turbas has primario in illis visceribus consistere, fortassis etiam partim consistere in diaphragmate, quatenus diaphragma à vasis Coeliacis irritetur, Cerebrumque postea in Consensum trahere. In phrenitide ergo febrem non adeo vehementem esse, mitioremque potius ad contactum; et in paraphrenitide febrem atque adeo mihiorem illâ valdeque parvam esse: utrumque morbum, maxime quod ob levia & facilia initia creberente fallat, pessimae notae esse: neque dubium esse, quin multae febres malignae, quae vulgo sic dicantur, verissimae phrenitides & paraphrenitides sint: sibi persuasum esse, quas hodie vocent Catarrhales malignas, simplices & petechizantes, febres, quin febrem petechiale ipsum, nihil aliud esse, quam phrenitidum ejusmodi species cum maculis ejusmodi, tanquam extravasatio-

vasationibus corrupti sanguinis, conjunctas, vitio maxime memoratorum viscerum, non secus ac Uteri inflammations protinus cum Purpurâ videamus.

§. VI.

b. PHIL. GEORG. SCHROEDERO, (qui, ex laudatissimis merito Rintelii quondam Professor, innutritus omnibus, quae Medicum Practicum juvare poterant, Veri, quod in Medicina Utile esset, maximo semper studio cupidissimus erat & ad id omnem suam scientiam, gaudebat autem valde multa solidâque, dirigere, clarissimasque, ut BOERHAAVIUS, ideas sibi de morbis in individuo formare attentissime allaborabat, quod etiam testantur Ejus Dissertationes, dignae ut collectae typis recudantur, observandique *anatomia* plus quam Baglianâ aegros suos observabat, Goettingae Medicoque Orbi praematufo fato ereptus, quamvis in Discipulis victurus,) Phrenitis <sup>2)</sup> est acuta febris indolis malignae hoc est Periculum Celans, cum delitio sere perpetuo conjuncta sine magno aestu. Paraphrenitis autem Ipsi duplex est & diversus, qui Aliorum Auctorum unus eodem nomine, morbus, quorum alter Diaphragmatis

sit

2) Conf. Ej. discipuli, clar. Medici Osnabrugensis D. FEINIT  
Diff. de indole ac sede phrenitidis ac paraphrenitidis,  
Goett. 1765.

B

fit inflammatio, quæ à BOERHAAVIO complice descripta,  
rectius, judice etiam Clarissimo SCHROEDERI discipulo,  
D. SELLIO, in *Pyretologia* sua, Diaphragmatitis diceretur, alter  
vero Paraphrenitis dicenda, eaque sit Levior minusque  
acuta phrenitis, aut febris indolis malignae cum ejusmodi  
delirio, quod quidem non ita juge ac vehemens velut est  
exquisite phreniticum, attamen quod, cum magis con-  
tinuum aut etiam plenariae intermissionis expers sit, sa-  
tis se à paraphrofynē illā aut mentis alienatione febrili  
transitoria atque fugitiva distinguat. Ipsi Paraphrenitis  
similem omnino decursum habet ac phrenitis, in eo au-  
tem differt à Phrenitide, quod neque indicia futuri deli-  
rii, neque hoc ipsum, adeo, ac in illā, manifesta ac  
conspicua fiant, quod etiam aegri magis & frequentius  
tranquilli, moesti ac morosi decumbant, & ad sero-  
ciam rarius deveniant. Sedem vitii, quod phrenitidem  
aeque ac paraphrenitidem efficiat, nisi semper, saepissi-  
me tamen, vel maxima saltem ex parte, in Praecordiis  
Visceribusque Hypochondriacis latere statuit: sordibus  
circa praecordia cumulatis Deliria per Consensum exci-  
tantibus. Encephalum ab inflammatoria labe, saltem  
quod ad originem mali, immune credidit, vel pronus  
ad credendum fuit, demumque per decursum morbi  
accedere inflammationem encephali. Imo tandem veri-  
simillimum Ipsi visum est, sedem phrenitidis aeque ac  
paraphrenitidis Praecipue vel Unice in praecordiis ha-  
rere,

rere; indeque Deliria ex Consenſu nasci: praeſertim  
vero, quin ſecundum haſtenus cognita (cognita autem  
optime & pleniffime habuit b. SCHROEDERVS omnia hac  
de re haſtenus obſervata) neque, ut ſtatuit, vitio Ca-  
pitis idiopathicō Phrenitidis Origo tribui poſſit, neque  
paraphrenitis ex affectione diaphragmatis aut pericardii  
aut membranarum thoracem interſepientium, ut me-  
diastini, oriatur; jam vix ullum illa in re dubium ſuper-  
effe putavit, quod Praecordia pro iſtorum morborum  
Sede Primaria habenda ſint. Cum BRENDELIO afferuit, ſi  
quidem inflammationes Cerebri & meningum, quales  
accuſantur, conſpectae unquam fuerint, multo eſſe ra-  
rioſes, qualia fere in malignis obſervantur febribus, viſce-  
rum imi ventris vitiis. Quod vero hic ejusmodi exem-  
pla hiſ opponi poſſent, ubi talia imi ventris viſcerum  
vitia plane non commemorata legantur, id nullo qui-  
dem modo inficiatus eſt, pro certo tamen quoque ha-  
buit, quod ſimilia praecordiorum vitia frequentius re-  
perta fuifſent, niſi permulti proſectores cauſam illarum  
affectionum in ſolo Capite, vel in diaphragmate quo-  
que, quaerendam eſſe exiſtimaffenſt. In genere vero id  
magna cum probabilitate afferi poſſe exiſtimavit, ſordes  
primarum viarum varieque alienatos & corruptos hu-  
mores in viſceribus hypochondriacis retentos & colle-  
ctos, ſpasmorū & ipsarum languinis ad Caput Con-  
geſtionum, in phrenitide ac paraphrenitide obſerva-  
toſ. q. habent B 2: b. tam ſequuntur  
bilium,

bilium, causam esse spasticoque imprimis modo Deliria hinc excitari, delirioque phrenitico spasmodici quid inesse affectionesque spasmodicas facile conjungi. Quae vero in Cadaveribus phreniticorum nonnunquam deprehensae fuerint variae, Cerebri & Meningum, inflammationes, serotaeque colluvies, videntur Ei in morbi vigore, praesertimque ex valde oppresso pectore ac difficultate respirationis natae esse, soporisque, ex quo plerique moriantur, causa fieri.

### §. VII.

Has discrepantiae aliasque difficultates plures, laudatos apud Viros ampliore sermone expositas, cogitanti versantique & propensiore jam, secundum mentem Recentiorum, ad negandum existentiam Phrenitidis Idiopathicae, quam rarissimam esse jam alii v. gr. JVNCERVS<sup>1)</sup> & PISO<sup>2)</sup>, vel saltem hisce frigidis in regionibus Franc. HOME<sup>3)</sup>, declaraverant, opportune mihi sectionis ab autopta, clar. Dno. Praefide TIMMERMANN, sequens communicata est

### OBSERVATIO ANATOMICO-PRACTICA:

Miles viginti septem circiter annorum caetera bene valens dolorem saltem Rheumaticum in dextro brachio

humero-

-no<sup>1)</sup> L. c. Tab. 63. p. 520. in hisque anatomia

-no<sup>2)</sup> L. c. Tom. I. p. 63. oratione in anatomia

-no<sup>3)</sup> Principia med. edit. Amstelod. p. 101.

humeroque passus, a quo balneis aquarum Rodenber-  
 gensium liberatus fuerat, sanus nunc atque robustus,  
 aestuofae illo aestatis anno 1766, actis excubiis XVI.  
 Julii circa meridiem domum redux, dici illius, qui Mér-  
 curii erat, Vesperā hora circiter sexta septimave medio-  
 cre sentit frigus febrile, sed vehementem capitis dolo-  
 rem, subsequentे mediocri febrili calore: Facies ejus  
 durante febre non apparuit rubicunda, quin potius ali-  
 quantum pallidula, & oculi ejus uti eo, sic etiam reli-  
 quo toto morbi tempore, quemadmodum facies, minus  
 rubicundi, quam quidem, donec sanus erat, appare-  
 bant: de siti non questus est, sed initio de aliqua parva  
 nausea: lingua erat quasi pura, eaque humida. Sequentē  
 die Jovis Vomitorium datum, ex quo ter vomuit: post  
 meridiem incepit delirare, saepiusque & rudius vellebat  
 manibus genitalia, ob id, ne noxam sibi faceret, ab al-  
 fidente quodam detinendis. Ve'peri Venaesectio in  
 brachio instituta: per noctem sequentem insomnis fuit,  
 magisque deliravit: delirium, quod, quum horae morbi  
 vix viginti effluxerant, accessit, dein fuit continuum, sed  
 non adeo furiosum dicendum, quippe delire saltem  
 missitabat, usque ad vitae finem, excepto quod pridie  
 ejus, quo moriebatur, brevi tempore paucula cum ra-  
 tione loquutus fuerit. Dic Veneris mane Venaesectio  
 altera instituta est in pede, & suris Vesicatoria sunt ap-  
 plicata, praeter quod interne temperantia & camphorata

B 3

fuerint

fuerint exhibita. Febris toto morbi decursu, tria cum di-  
midio nychthemera durante, mitis fuit, exacerbationum  
quasi expers; pulsus mediocris, aut vix celeritatem excedens  
naturalem, certe infra febrilem celeritatem, adeo vt vix  
febrilis dicendus: frigus febrile initio saltem morbi sensit,  
illudque postea non repetit: aestus nullus: sitis nulla:  
sopor nullus: dolor nullibi corporis, saltem de nullo  
nisi capitisi initiali questus est aeger, etiam semel, die  
Saturni saltem, conquestus de dolore circa Scrobiculum  
cordis quasi cardialgico. Die Saturni mane sumvit re-  
medium laxans. Morbus neque Medico, BRENDELII disci-  
pulo, neque Chirurgo praetorio, doctis expertisque Viris,  
periculofus visus est, qui die Solis mane praescripserunt  
Sal mirabile Glauberi cum aqua Pyrmontana sumendum,  
cujus paucis ab aegro sumtis scyphis non diu post, hora  
scilicet ante meridiem nonâ, obiit. Post mortem sectione  
aperti omnia viscera abdominis & thoracis quam sanissi-  
ma nihilque praeter naturale habentia & ostendentia, sed  
resecto Cranio apparuerunt, demta dura matre, in super-  
ficie Cerebri, sub pia matre, in sinistro latere quatuor  
parvula loca, in dextro latere autem duo ejusmodi loca,  
singula instar dimidii pisii seu lentis, purulenta, verum  
Pus habentia, circumscripta, in fulco aliquo gyrorum  
cerebri obvia: nullae erant inflammations in piâ matre,  
vasa saltem sanguifera uti hic, sic etiam in toto reliquo  
corpo, Vena, sanguine turgebant, & minorâ piae  
matris

matris quidem tanquam Injectionis artificio repleta essent, vel, si mavis, inflammata. Pus illud, sex locis superficie Cerebri conspicuum, accurate ita quasi limitibus suis circumscriptum erat, partibus contigue circumiacentibus sanis, ut non videretur ibi locorum generatum fuisse, sed aliunde per metastasim huc delatum. Praeterea vero dein contra, Glandulam circa Pinealem Pus, latitudine circiter Unguem digitii mediocrem aequans, diffusum utcunque, membranulis tamen cellulosis partis Plexus Choroïdei, eò usque extensae, inhaerens offendebatur; tandemque sub pia matre Pontis VAROLII vel Protuberantiae Annularis ex utroque latere arteriae Basilaris aliquale Pus, diffusum inibi, apparuit, hoc tamen magis videbatur simile materiei sebaceo-inflammatoriae, qualis obsidet quandoque exterius superficiem pulmonum in illis, qui pleuritide enecti sunt. Hic sub Protuberantia Annulari & quidem praecipue, itemque circa Glandulam Pinealem, videbatur itaque morbus primariam suam sedem habuisse (indeque pus metastasi superiora versus motum): nam reliquae Cerebri partes erant sanæ, & in abdomine, quamvis ibi studio morbi causa quaereretur, omnia, uti dictum, sana, & nullae deprehendebantur inflammationes.

### §. VIII.

## §. VIII.

## Epicrisis.

Quamvis negari non possit, phrenitidem Idiopathicam raro contingere, ut JVNCKERV, rarissimam, ut PISO, & in regionibus saltem calidioribus obviam esse, ut HOME innuit, aliis, verbo, omnibus hac de re consentientibus, ex hoc tamen casu existentiam ejus probari manifestum putarim, qui rarissimi morbi rariorem adhuc practicam anatomen exhibet, qualis igitur Observatio, monumentis Medicorum ut inseratur, haud indigna videtur. Certe si BONETI illud Sepulchretum, & MORGAGNI cedro dignos Libros de Sedibus & Causis morborum, quibus nullus Medicorum careat, evolvas consulasque, vix invenies observationem, quae tam apodictice, ut nostra, phrenitidem Idiopathicam demonstret evincatque: haec etiam causa fuit, quod BRENDELIVS, BONETVM suasque proprias his morbis defunctorum sectiones meditatus, phrenitidem mere idiopathicam dubiam reddiderit, & b. SCHROEDERVS, quum neque inde, neque ipso ex MORGAGNIO, plus certitudinis haurire posset, eam tantum non negaverit. Praecipua dubiorum ratio in Observationibus Anatomico- Practicis inde emersit, quod aegri phrenitici partim aliis morbis antea affecti phrenitidem inciderint, partim quod, qui idiopathicā laborasse viderentur, non ita cito, sed demum post sex septēm pluresve

pluresve dies obierint, quo temporis decursu in abdo-  
mine jam enatae esse poterant lassiones, quae dein  
judicium de primaria morbi sede difficile redderent:  
vix unicus in Historiis Medicis est, qui quarto die  
morbi mortuus Sectione examini subjiceretur: fere  
omnes diutius aegrotaverant. Quum enim nostro in  
Casu in abdomen, in quod revera suspicio causae, sal-  
tem potioris concusae, tam Medicantibus quam Secan-  
tibus fuerat, inquisitione anatomica nihil vitii reperiri  
potuerit, insons illud declarari debuit, non secus ac tho-  
racis viscera. Imprimis vero memorabile est, quod jam  
Quarto morbi die Pus in Meninge Cerebri generatum  
apparuerit, quod tamen nullibi locorum corporis, sani  
quippe antea &, ut suspicione latentis aliâ in parte sup-  
purationis, sic etiam eâ, praeter encephali morbum,  
liberrim post mortem inventi, progenitum nec inde igitur  
huc in Encephalum Metastasi transportatum esse po-  
terat: quo nomine quibusque circumstantiis haec Ob-  
servatio forte unica sui generis est, qualis scilicet nulla  
adhuc in Medicorum Libris forsan extat; manifestoque  
est documento, quod praeter vulgarem haec tenus op-  
inionem sat cito Pus in Tenui Meninge nasci possit,  
exactis certe tribus cum dimidio morbi diebus. Febris,  
quae phrenitidi idiopathicae conjungitur, indolem quod  
attinet, videntur plerique Autatores Systematici eam ex

C

theo-

theoretica hypothesi, ratiocinando secundum caeteras inflammatorias febres, efformasse potius quam observasse vel ex observatione descriptisse, praesertim (etiam si supra laudatus PISO v) & PRO-

SPER

v) Signa, distinguentia Phrenitidem per essentiam ab ea quae fit per consensum diaphragmatis, diligentius exquirenda sunt. Nam in his quae commemorata sunt, convenient Phrenitidem delirio vehementi & perpetuo, quod septo transverso inflammato excitatur. Distinguunt tamen vera Phrenitis ex oculorum accidentibus, & sanguinis & naribus fyllis, ex spirationis specie, quae in Phreniticis magna & rara est; in septo transverso inflammato inaequalis, ut modo exigua sit & frequens, modo magna & angustiosa vel suspiciose. Incipiente enim septi transversi inflammatione, priusquam delirent laborantes, parvum ac frequentem reddunt spiritum. Contrà, his qui ob affectum cerebrum delirant, magna raraque prodit respiratio. Rursum hypochondria intendi proprium est indicium affecti septi, idque vel statim ab initio: quod affecto cerebro posterius accidit. Calor quoque vehementior est circa caput & faciem iis, qui vitio cerebri delirant. Et in summa, signorum, quae Phrenitidem antecedunt, aut nullum apparet aut exiguum est in iis, quibus septum transversum laborare incipit. In septi transversi inflammatione hypochondria calent magis, dolent & convelluntur. Libr. cit. Tom. I. p. 67. Adde, quod vera Phrenitis nunquam repente fit, ut ea quae per Consensum gignitur, p. 63.

SPER ALPINVS <sup>w)</sup> duplicitis speciei aegros phreniticos ratione faciei & ratione hypochondriorum distinctos descripserint,) quum non satis distinxerint Duo illa febris phreniticae Stadia, Prius Mite per tres aut quatuor dies priores, quin ultra, & Alterum, Vehemens, ferox equidem non semper dicendum, per morbi reliquos dies. Ex dictis jam constat, quod phrenitis idiopathica nostris in regionibus rarissimus sit morbus; paraphrenitis contra BRENDELII & SCHROEDERI frequens; BOER-HAAVIANA autem Paraphrenitis partim sit Pleuritis diaphragmatis seu rectius nominanda Diaphragmatitis, partim paraphrenitis & quidem Veterum illa secundum symptomata, secundum causam autem symptomatum BREDELIANA. Cum porro post modo dicta attente consideranda, praeterea Curationis methodus BREDELIANA & SCHROEDERIANA paraphrenitidis causis in abdome haerentibus maxime non solum adaequa-

C 2 ta

<sup>w)</sup> Med. Methodiae Lib. VII. Cap. V. edit. Lugd. Bat. 1719.

p. 389. „Pulsus in Phreniticis est parvus, creber atque durus, facies rubra itemque oculi, & calidi, respiratio magna, hypochondria hanc in principio tenduntur sed postea, quibus distinguitur ab illa amentia, quae laeso s. pro transverso oboritur, in qua neque facies, neque oculi incalescunt neque rubescunt, & respiratio est inaequalis, statimque morbi principio hypochondria tenja apparent.“

ta videatur, sed etiam ab Experientia, supremo hac in re judice, optime confirmetur, quippe quae felices curationum successus praे omnibus alijs methodis frequentissime producat & ostendat: patet, quod saltem accuratissime Signa debeant exquiri, per quae & phrenitis Idiopathica, & Diaphragmatitis, & paraphrenitides seu febres, si mavis, dicendae praecordiales, Certo a se invicem distingui dignoscique possint, eo magis sane, quod inter haec tenus desiderata praxeos hoc mihi numerandum videtur; quam tamen characteristica haec diagnosis eo sit desiderabilior, quod Triplicis hujus morbi Curatio Trifariam adeo etiam diversa fit necesse est, ita ut quae in uno prodesse, in alio nocere posse, remediorum genera sentiamus; ex gr. quae in paraphrenitide Recentiorum approbamus Vomitoria, ea in phrenitide idiopathica & Diaphragmatide seu septi transversi inflammatione repudiamus. In universum brevibus, Phrenitidem secundum Veteres Medicos, Paraphrenitidem secundum BRENDELIVM & præsertim SCHROEDERV, Diaphragmatidem autem secundum BOERHAVIVM, curandas esse statuimus. Quod autem febris, quae phrenitidi Idiopathicae conjuncta est, indolem attinet, vere & optime eam descripsisse videntur BRENDELIVS & SCHROEDERV, quanvis Hic causam idiopathicae phrenitidis deseruerit: mitis est febris: & talem jam in uno alteroque exemplo

plo expressis verbis meritissimus ille Jenensium WEDE-LIVS <sup>x)</sup> & magni nominis Nestoreus MORGAGNVS <sup>y)</sup>, meminerunt, ut dein in pluribus Cel. Britannicus Archiater PRINGLIVS: qui PRINGLIVS novam lucem phrenitidi idiopathicae coepit accendere: miramque sed verosimillimam edidit opinionem, homines posse habere suppurationis

~~animaq; sive idiom; il or obnam; vob; rancidiorum; ad initia  
usa; secundum secundum; ubi nunc non; et; resurgit;~~

<sup>x)</sup> Epitom. prax. clinicae Se<sup>t</sup>. I. de morb. capitis, Jenae 1710. Cap. XIII. p. 207. „Quandocunque vero eriam in principio mite est delirium, mitis & subdolus calor, nusquam tuta fides est: c<sup>i</sup>vis quidam ita incipiebat laborare phrenitide, febri & delirio miti viso, - - - die septimo aeger moritur.“

<sup>y)</sup> De Sedibus & Causis Morborum Lib. I. epist. VII. §. 2. p. 88. T. I. edit. Lugd. Bat. „Adolescens in nosocomio decumbebat: Lenta erat febris cum siti quidem, sed urinā & pulsibus quadantenus sanorum similibus, ut Levis videtur morbus. At circa octavum diem delirium ingens accedit, quod septem dies perduravit. Hoc cessante aeger ramen quasi amens jacebat, nisi quod nonnunquam paulisper sapere videbatur; tandem moritur. In Ventre & Thorace saniū omnia: sed Cranio sublato gelatinosa quaedam concrecio vasa sanguifera per Tenuem meningem reptantia a lateribus comitari animadversa est: & ea meninge ad basin cerebri lacerata copia aquae exivit, colore & crassitie vaccinum serum referentis; cacterum totum cerebrum erat sanum.“

¶

initia in Cerebro, & tamen reconvalescere <sup>z)</sup>: sed eam opinionem animo jam imbibera Medicus Italus, Hippol. Franc. ALBERTINVS, Bononiensis olim Professor, qui Pus in Urina ex Cerebro ortum se observasse autumat <sup>\*)</sup>. Illud vero, si vomendi conatus, quin vomitus ipse, in aegro adsuerit, aliquantum quidem difficiliorem reddere potest diagnosis, suspicionem movendo, ac si morbi causa primis inhaereat viis, non tamen prorsus turbare debet: nam Vomitus inter ipsa ipsius affecti Cerebri signa, ut notissimum est, pertinet, adeo ut exinde non solum ventriculus cum nausea subvertatur & os amarescat, sed etiam ipso in Hepate abscessus generentur, ut docent exempla Caput Percussorum.

---

<sup>z)</sup> Beobachtungen über die Krankheiten einer Armee, edit. Altenb. 1754. pag. 310.

<sup>\*)</sup> ap. MORGAGNVM Libr. cit. Epist. V. S. 13. p. 73.









DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE,

# PHRENITIDE IDIOPATHICA

QVAM

AVCTORITATE ET CONSENSV  
AMPLISSIMI ORDINIS MEDICI

IN ACADEMIA ERNESTINA

PRAESIDE  
THEOD. GERH. TIMMERMANN

MED. DOCT. ET PROF. PRIMAR. PROVINCIAE HASSO-SCHAVM-  
BVRGICAE, MILITIS PRAESIDIARII VRBISQUE RINTELIENSIS  
ET ACIDVLARVM RODENBERGENSIVM PHYSICO

PRO GRADV  
DOCTORIS MEDICINAE  
EXHIBET ET PVBLICE

DEFENDET

JOHANNES CHRISTIANVS FISCHER

SALZVNGA - MEININGENSIS SAXO.

DIE JANVARII MDCCCLXXVIII.

RINTELII,  
TYPIS ANTON. HENR. BOESENDAHL  
ACAD. TYPOGR.